



EX LIBRIS
ILLVSTRISSIMI VIRI,
DN. DAN. LVDOLPHI,
LIB. BAR. de DANCKELMANN,
S. REG. MAI. BORVSS. CONSILIARI
STATVS INTIMI, cetera,
BIBLIOTHECÆ ACAD. FRIDERICIANÆ
TESTAMENTO RELICTIS.

Ca. 47

Quod Felix Faustumq; sit!
 COLLEGIISUTHOLTIANIPUBLICI
 DISPUTATIO XIII.
 DE
CONTRACTIBUS
QVI RE INEUN-
TUR

QUAM

Una cum specialioribus Controversiis
 Ex Lib. XXX, XXXI, XXXII, XXXIII, XXXIV. Pand.

PRÆSIDE
 DN SAMUELE STRYKIO

J.U.D. & INSTIT. IMPERIAL. PROFESS. ORD.
In celeberrimâ cis VIADRUM UNIVERSITATE,

Ad diem 19. Decembr. A. O. R. MDC LXVIII.

IN AUDITORIO ꝛCONSULTORUM

Horis matutinis

Publico eruditorum Examine

exhibet

JOHANNES ADAMUS CALBIUS
 STETIN. POMERAN.

Literis JOHANNIS ERNESTI Acad. Typ.



Quod Felix Faustinus; de
COLLEGIIS THOTIANI PUBLICI

DISPUTATIO XIII

DE
CONTRACTIBUS
QUI RE MEU

TUR

EX LIB. XXX. XXI. XXII. XXIII. XXIV. P. 109

P. 109. 110.

DI SAMUEL STARKIO

J. D. & INST. IUR. PROF. ORD.

IN ACADEMIA LIBERARUM ARTIUM

IN WIDMORIO P. 109. 110.

JOHANNES ADAMUS CALBUS

STETIN. POMERAN.

Typis JOHANNIS ERNESTI Acad. Typ.



CONTROVERSIAE PANDECTARUM PRINCIPALIORES à Respondente Collectæ.

Ex LIBR. XXX. XXXI. & XXXII.

- I. **L**egatum, teste Modestino in *l. 36, ff. de legat. 2.* est Donatio quædam à Defuncto Testamento relicta & ab hærede præstanda. Multi inveniuntur DD. ultima hujus definitionis verba tanquam supposititia rejicientes: Sed mihi sentiendum cum illis qui illa ut maximè necessaria retinenda esse existimant, inter quos agmen ducunt. *D. Struv. Exerc. 35. tb. 2. D. Harpr. in §. 1. Instit. de Legat. Gomez in libro variar. Resolut. p. 1. c. 12. n. 3.*
2. Legata per omnia Fideicommissis exæquata, adeo ut quod de Legatis dicatur de Fideicommissis affirmari possit; & vice versa *l. 2. C. communia de legat. Fachin. l. 5. controu. c. 30. Schneidw. ad §. 2. Instit. b. tit. Dissentit Ferd. Vasqv. l. 2. de succession. creat. §. 17. n. 119.* Licet ratione electionis adhuc discrimen esse videatur, utrum verba ad hæredem, an ad legatarium dirigantur, & sic mansit discrimen in libertate legata. Hæc enim differentia tolli non potest nisi quis naturam sive vocem ipsam Fideicommissi extirpare velit. *Magn. Dn. Bruneman. quest. 5. b. t. D. Harpr. ad §. 2. Instit. b. tit. n. 3.*
3. Egregia est DD. quæstio, utrum legatum sit an vero donatio inter vivos, quando Testator in Testamento præsentis & acceptanti aliquid donat? *Ferd. Vasquius de success. creat. §. progress. §. 23. n. 3. Menoch. l. 4. de præsumpt. tom. 2. præsumpt. 105. n. 18. §. 19.* ut & alii, donationem inter vivos esse responderunt: Apud me autem *Fachinei, Harprectii, Schneidwini* aliorumque sententia prævalet, qui non donationem inter vivos, sed legatum esse profitentur, innixi *l. si uno ff. locati l. heredes palam §. ult. ff. qui Testam. facere poss. l. cum antiquitas 28. C. de Testam. l. 20. ff. de verbor. sign. l. 12. §. 21. ff. de rebus dubiis.*

4. Præce-



4. Præceptori suo quando quis rem alienam quam suam esse putavit, legat, valet hoc legatum & debetur æstimatio. *l. cum rem alienam C. de Legat.* Nec obst. *l. 20. ff. de V. S. & l. 2. de Testam.* Gometz. *in d. libr. var. resol. c. 12. n. 13.* Nec Jus Canonicum legatum alienæ rei prohibuit, præterquam in illo casu de quo Gregor. Pontifex Maxim. *in tit. de Testam.* ad Episcopum Mesalinum scribit. DD. quomodo dissentiant vide apud *Fachin. l. 5. controuv. c. 38. Struv. dict. Exerc. tb. 14.*
5. Quando S. Petro aliquid legatum, valet hoc, & tunc Ecclesiæ Petrinæ, vel si non adsit Ecclesia, Xenodochio quod à Petro nomen sortitum, hocce legatū tradendum. Similiter si quid Deo relictum, in alimoniam pauperum hæc impendi debent. *l. ult. C. de SS. Eccles.* Nec obst. *§. 25. Instit. b. tit. cum ille per §. 27. & 28. ejusdem tit. mutatus sit Dn. Struv. Exerc. 35. tb. 3.*
6. Quando res propria legata, & augmentum & deminutio ad legatarium pertinet: Sic si areæ propriæ imposita domus debetur legatario, nisi Testator mutaverit voluntatem. *l. 39. ff. de legat. 2. l. 10. ff. eod.* Ita si Testator legavit fundum vel domum & postea partem illius alienavit, pars quæ adhuc superest debetur legatario *l. 8. ff. de legat. 1. uti etiam area si domus diruta legatario tradenda. l. 22. ff. de legat. 1. Nec obst. l. 65. ff. eod. neque contrariatur l. 49. ff. de legat. 2. Gometz. d. loco n. 16.*
7. Si Testator plures habeat res ejusdem generis, nimirum equos, & unum ex iis leget Titio, alterum Mævio, unus autem preciosior sit altero, Titius annon vero Mævius electionem habeat? R. Primo nominatus Titius *arg. textus in l. quoties. ff. de Usufr. & l. si ita legatum 65. ff. de legat. 1.* Varias DD. opiniones hoc de casu videas apud supra citat. *Gometz. dict. libro n. 17.*
8. Debitor quando simpliciter Creditori aliquid legat, non id compensandum cum debito, nisi expressè contraria Testatoris appareat voluntas. Nec admittenda illorum DD. distinctio inter debitum voluntarium & necessarium. Neq; Obst.

Obst. l. 22. ff. solut. matrim. ad quam respondet Facin. l. 5. cap. 33. Struv. Exerc. dicta tb. 12. Bacov. ad Treutl. D. 26. tb. 12. Dissentit Gometz. l. 1. v. resol. n. 27.

9. De Feudo quoniam nemo testari, c. 1. de Successione Feudi, per consequentiam legari testamento non potest. Neque si legatum sit Feudum ejus æstimatio debetur, cum in feudo non valeat ordinatio defuncti l. apud Julianum §. constat de Legat. 1. Nec obst. l. quoties ff. de rebus dubiis. Argumenta autorum dissentium videas apud Facin. lib. 5. contrav. c. 37. Struv. Exerc. dict. tb. 9.
10. Res sperata quando legatur, si fundus addatur demonstrationis causa est purum, si vero taxationis causa appositus, est conditionale legatum. l. 12. de cibar. & alimentis legatis l. 27. d. legat. 3. l. 26. quando dies legat. D. Brunnem. quest. 11. b. tit. ut & quest. 10. tit. de condition. & demonstrat. Struv. Exerc. 35. tb. 8.
11. Quæritur autem hic unde cognoscendum sit, an fundus demonstrationis, an verò taxationis causa additus? R. Quantitas quando præcedit corpus demonstrationis causa additus fundus, v. g. Lego Titio decem amphoras vini, quas ex mea capiat vinea; hic licet in illa vinea non decem nascantur, debentur tamen ex alia vinea cum demonstrationis causa fundus additus. Quando autem corpus præcedit quantitatem taxationis causa appositus v. g. Ex mea vinea Titius 10. amphoras vini capiat, atque hic non plures debentur, quàm nata.
12. Legatum consistens in genere generalissimo sive subalterno pro nullo habetur, cum semper sit incerta rei legatæ conditio; idcirco determinatum genus legandum; atque tale legatum subsistere constat ex l. 13. & l. 37. in pr. ff. de legat. 1. Nec obstat. l. cum post divortium 69. §. 4. ff. de jure dot. Gometz. libro citat. n. 32. Harpr. ad §. 22. Inst. b. t. n. 7. 8. 9. Borcholt. ad dict. §. Instit. Magn. Brunnem. quest. 19. b. t.
13. Electio in legato generali est penes legatarium. Magnif. Brun-

neman.

neman. quest. 20. b. tit. Struv. d. loco §. 16. Harpr. cit. loc. n. 12.
Non obstat *l. 32. §. 1. l. 37. §. 1. l. 39. §. 6. l. 71. in pr. de leg. 1. Æ-*
quitatem tamen observare tenetur Legatarius ut non eligat
optimum l. 37. pr. & l. 110. de leg. 1. Non obstat l. 52. ff. Man-
dati. Struv. alleg. loco. D. Brunn. quest. cit.

14. Non semper nominatione mobilium ac immobilium eti-
am continentur jura sive res incorporales, sed quando mens
dicentis aut subjecta materia id exigit. *Nicol. de Tudesch. Abb.*
Panormit. in c. Nulli. de rebus Eccles. non alienand. n. 9. 10. Co-
varr. in c. Relatum 2. de Testam. n. 1. Paul. Christinaeus Vol. 1. de-
cis. belg 153. Sic etiam quando legantur bona certo loco con-
tenta, non semper etiam jura sive actiones, quarum instru-
menta in isto continentur loco legantur: Chirographa e-
nim considerari possunt quatenus Papyrus, & sic certo loco
continentur, sed nullam utilitatem habent, adeoque in lega-
to hoc non veniunt; aut considerari possunt quoad jura sive
actiones quæ in illis continentur, & sic non sunt in loco, &
per consequentiam legari non possunt: Secus si in loco ex-
presso nihil aliud quam Chirographa contineantur. *arg. l. 109.*
de legat. 1. l. 2. de reb. dubiis. l. cum pater 77. §. 16. de legat. 2.
Struv. Exerc. cit. tb. 13. D. Brunneman. quest. 17. b. tit.

15. Videbatur olim an Legatarii verbis conjuncti essent, an re &
verbis simul, an vero re tantum; Si re tantum conjuncti es-
sent demum locum habebat jus accrescendi; Hodie autem
omnes istæ differentiæ sublatae & qui re & verbis, & qui ver-
bis seu re tantum conjuncti jus habent accrescendi. Non
tamen hoc jus locum habet quando pluribus Legatariis di-
versa sunt relicta Legata *L. 84. §. 12. ff. b. t.* quia non concu-
runt in una re: Et quamvis in una re si tamen diversis scriptu-
ris, jus accrescendi non est validum *l. 16. ff. quibus mod. Ususfr.*
amitt. Brunn. quest. 29. b. t.

16. Quando Testator legat rem propriam oppignoratam sci-
enter, quod legatarius probare tenetur, *Carpz. decis. 20. n. 13.*
hares

hæres istam luet l. 57. §. 1. de leg. 1. Nec obst. l. 15. de dot. preleg. l. 77. §. 16. de legat. 2. Carpz. p. 2. decis. 20. Si ignoraverit, res cum suo onere transit ad legatarium dict. l. 57. Neque refragatur l. 27. §. 3. de Usufr. l. 116. §. ult. de Legat. 1. Quod tamen non simpliciter asserendum, cognato enim quando res oppignorata legata, sive scienter sive ignoranter hoc fecerit Testator, hæres indistincte illam luere tenetur. arg. l. 18. C. b. tit. Hoc quoque procedit quando Testator legavit ipsius legatarii rem propriam l. si tibi homo. de legat. 1. Et quando res pro justo valore oppignorata, ut nihil supersit. Struv. dict. Exerc. tb. 14. Magn. D. Brunn. quest. 18. b. t. Gometz. dicto libro §. capite n. 39. apud quem etiam invenies difficiles subtiles & fere indissolubiles contra hanc sententiam se offerentes difficultates.

17. Non à tempore mortis, l. final. C. de Usur. & fruct. legat. sed à tempore liris contestatæ aut moræ l. 87. §. 1. de legat. 2. rei legatæ usuræ & fructus debentur Bachov. ad Treutl. 2. D. 13. tb. 7. Magn. D. Brunnem. quest. 39. b. tit. Struv. tb. 20. Quamvis dissentiat Gometz. d. l. n. 22. & obiiciat: Si in legatarium transeat Dominium, merito ad ipsum fructus pertinebunt. arg. text. in l. à Titio ff. de furtis, & in l. si tibi homo. §. cum servus ff. de leg. 1. Sed respondet Struv. cit. loco: Licet dominium statim acquiratur, exercitium tamen & fructus domini pendēt ab aditione & agnitione l. 7. §. 5. de dol. l. 44. §. 1. l. 86. §. 2. ff. d. leg. 2.
18. Hæres non de levissima, sed de levi tantum tenetur culpa. l. 108. §. 12. de leg. 1. Magn. D. Brunnem. quest. ult. dict. tit. Godofredus ad l. 47. ff. b. t. Quamvis dissentiant Struv. tb. 21. b. t. Duarenus ad l. 108. §. 12. b. t. Borcholt. ad §. 16. Instit. b. t. & l. 47. §. pen. de leg. 1. nobis obiiciant.
19. Quando Testator ita legavit: si qua filia mihi nata fuerit, ei hæres meus centum dato; si plures nascantur singulis centum solvenda. l. 17. ff. legat. 1. Wissenb. tb. 9. D. Brunn. quest. 6. tit. 31. Sic etiam quando Testator legavit in plurali filiis suis vel alteri-

alterius tertii nascituris centum, omnibus in solidum de-
dentur, quia indefinita æquipollet universali distributivè
non collective. *l. 17. de leg. 1.* Quamvis hac de sententia rece-
dat Gometz. in *v. resol. n. 19.*

20. Illum quem non honoro gravare non possum *l. ab eo C. de
Fideicom.* Sic legatarius in plus non potest onerari quam ac-
cepit. *l. 70. §. 1. de leg. 2.* Non tamen hoc procedit in specie le-
gata, forte enim magis æstimatur à me species quam pecunia,
& vice versa pecunia magis, quàm species. *Magn. Brunn. quest.
11. §. 16. l. 31. Zæf. n. 14.*

21. Titius conduxit hortos publicos usque ad annum 1672. an-
no autem 1668. moritur, & legat Mævio hortorum condu-
ctorum fructus, quæritur utrum Mævius, an vero Titii hæ-
redes, pensionem solvant? R. Hæredes Titii, alias enim nul-
la legati utilitas esset. *l. 30. §. 1. de leg. 3. Magn. D. Brunn. quest.
6. lit. 32. Nec obstat l. 7. §. 2. §. l. 27. §. 3. ff. de Usufruct.* cum i-
sti textus non de pensione, sed oneribus publicis loquantur.

22. Moneta quando legata unius nominis diversi vero valoris,
sex modi considerandi. (1.) Patrifamilias usus loquendi si-
ve usus nummorum. (2.) Consuetudo loci in quo versatus
est. (3.) Dignitas legatarii. (4.) Dilectio & charitas ipsius le-
gatarii. (5.) Conjunctio sanguinis. (6.) Observatio eorum,
quæ ante & post scripta sunt: Nam si in clausula præceden-
ti ista pecunia pro certo valore sumpta & postea simpliciter
legetur vel nominetur, sumi debet pro eodem valore quo
antea posita fuerit *l. 50. §. ult. de leg. 1. Gometz. loc. cit. n. 29.* De
his omnibus si nihil appareat, quæ minoris est valoris. *l. Num-
mis 75. d. leg. 3. Magn. D. Brunneman. quest. 13. libr. 32.*

Ex Libr. XXXIII. Pandect.

1. **L**egatum annuum civitati relictum est perpetuum; *l. 6.
l. 20. §. 1. l. pen. b. tit. Struv. Exerc. cit. tb. 29.* Civitas enim
nun-

nunquam moritur. Secus est in Usufructu, qui si Reip.
relictus per centum annos tantum durat. *l. 8. ff. de Usufruct.
leg. ne proprietas plane reddatur inutilis Covar. 3. resol. c. 9.
n. 10. Nec obst. l. 8. ff. b. tit. ubi dicitur: Quod legatum in
singulos annos relictum simile sit usufructui. Gometz. cit.
loc. c. 15. n. 20. Magn. Dn. Brunnem. quest. 7. b. t.*

2. Præscriptionem in annuis præstationibus locum non ha-
bere, idque multis præjudiciis in Camera confirmatum,
approbat *Gail. l. 2. obs. 73. Sed ex sententia Martini indi-
stincte pensiones annuæ præscribuntur non nisi à lapsu cu-
jusvis anni. Berlich. p. 2. concl. 4. Magnif. Dn. Brunnemann.
quest. 8. d. tit. Nec obst. l. sicut. l. omnes C. de præscription.
30. vel 40. annor. Fachin. l. 8. c. 99.*
3. Legatum aliquod civitati relictum, ut ex redditibus annu-
is in honorem defuncti spectaculum celebretur quod
spectaculum illic celebrare non licet: iniquum est hanc
quantitatem ad hæredes redire, igitur adhibitis hæredi-
bus & primoribus civitatis dispiciendum in quam rem,
converti debeat Fideicommissum, ut memoria defuncti
alio & licito genere celebretur. *l. 16. ff. de Usu & Usufr. leg.
Struv. b. t. tb. 38. Nec obst. l. 38. §. 6. in f. ff. de leg. 3. §. l. 21.
§. 3. ff. de annis legat.*
4. Servitus legata morte legatarii non tollitur, quia servi-
tus prædialis est perpetua. *l. 4. ff. de servitut. Struv. b. t.
tb. 42. Nec obst. l. pen. b. t. cum hæc ne servitus quidem
nominanda sit quæ intuitu personæ datur. Don. l. n. c. 8.
lit. E. Zoes. n. 2. Dn. Brunnem. quest. ult. b. tit.*
5. Maritus si simpliciter legaverit dotem & nihil cum Uxo-
re acceperit, inutile est legatum §. 15. *Inst. de legat.*
Nec obst. *l. 69. §. 4. de jure dot.* Secus si certum cor-
pus vel quantitatem in legato expresserit, etsi nihil
B accepe-

acceperit, validum tamen est, modo tale corpus reperiatur, falsa enim dotis demonstratio non nocet, *dict. §. 15. l. 6. §. 1. b. tit. l. 75. §. 1. de legat. 1. Magnif. Dn. Brunnemann. quest. 9. b. t. Struv. Ex. 35. tb. 45. Borcholt. ad dict. §. Instit.*

6. Vino legato etiam vasa debentur *l. 3. §. 1. b. t. Nec obst. l. 6. l. 14. l. 15. b. tit. cum nou in genere de omnibus vasis, sed tantum de minoribus loquamur, majora enim ad perpetuum usum servantur & loco moveri non solent. Magnif. Dn. Brunnemau. quest. 1. ff. de vino & tritic. legat. Struv. tb. 53.*
7. Instructo fundo legato non tantum quæ ad culturam necessaria, sed quæ Paterfamilias sibi habuit ut fundus esset instructior, continentur *Magnif. Dn. Brunnem. quest. 1. b. t. Hinc & supellex continebitur, mensa quamvis argentea, vina quoque si quæ fuerint ibi usus causa. Quæ vero non usus sed custodia tantum causa ibi habentur, non continentur in hoc legato. l. 12. §. 29. & seqq. b. t. Magn. Brunn. quest. 5. b. tit. Struv. tb. 54.*
8. Legatus fundus Et instrumenta, fundus licet alienatus sit, instrumenta tamen debentur, potest enim hic colligi quod Testator instrumenta hic non ut accessorium sed ut principale voluerit legare. *conf. l. 24. §. 3. de leg. 1. Secus quando legat fundum Cum instrumentis, hic non alium sensum verba admittunt, quam quod fundus sit principale, instrumenta autem accessorium l. 5. ff. b. t. l. 1. §. 1. ff. eod. Nec obst. l. 3. ff. de peculio legato. Struv. tb. 58.*
9. Testator quando legare voluit mensam & nominavit candelabrum legatum non valet. Appellativa enim nomi-

nomina non sunt in potestate Testatoris. *Dn. Brunnem.*
quest. 2. b. t. Secus si erratum in nomine proprio v. g.
Si fundum Tusculanum legaverit, ille autem Cor-
nelianus nominetur: Quæ substantiam enim signifi-
cant mutari non possunt, quamvis hoc fieri possit in
illis quæ differentiam constituunt. *Borcholt. ad §. 29.*
Inst. de legat.

Ex Lib. XXXIV. Pand.

1. **N**omine alimentorum legatorum veniunt cibaria,
vestitus & habitatio *l. 6. ff. b. t. l. 43. & seqq. ff. de*
V. S. Non verò comprehenduntur sumptus ad disci-
plinas humaniores addiscendas. *l. 6. & l. 7. b. t.* Non
obst. *l. 6. §. 5. ff. de Carbon. edicto l. 4. ubi pupill. educ.*
l. 2. C. de aliment. pup. prestand. Cum isti textus loquan-
tur de illo casu ubi ex jure & dispositione legis ali-
menta debentur. *Magnif. Dn. Brunnemann. quest. 1. b. tit.*
Struv. tb. 77.
2. Creditor quod sibi debetur debitori suo legare potest
per *§. 13. Instit. de Legat. l. 1. pr. ff. de liberat. legat.* Obj.
ex hac ipsa lege; quod debitores rerum jam credita-
rum Domini sint. Sed R. Quod Testator non tam i-
psum debitum quam remissionem juris ad hoc ipsum
petendum leget. *Dn. Brunneman. quest. 1. b. t. Struv. ad*
bunc tit. tb. 75.
3. In adimendis vel transferendis legatis benè est confide-
randa testatoris voluntas, quæ æstimatur ferè ex causa
alienationis *§. 12. Inst. de Legat. l. 18. l. 24. §. 1. b. t.* Si
voluntaria fuerit alienatio, censetur animo legatum
adimendi facta. *l. 8. pr. de leg. 1. l. 15. b. t.* Non obst. *l. 50.*
ff. de

- ff. de hered. instit.* Secus si ex necessitate profecta *l. n. §. 12. de leg. 3.* Sic quoque non debetur legatum quando Testator rem sponte alienatam redemit. *l. 15. b. t. Zæf. n. 7. Struv. tb. 72. Dn. Brunnem. quest. 6 & 7. b. tit.*
4. Duo quando simul periere, nec constat quisnam horum prior mortuus, junior si pubes fuerit semper senio-rem supervixisse creditur. *l. 22. b. t.* si adhuc impubes junior præmortuus censetur ob virium infirmitatem *arg. l. 23. l. 9. §. 1. ff. b. t. Dn. Brunnem. quest. 2. b. t. Struv. tb. 88. Borcholt. ad §. 7. Inst. de pupillari Substit.*
5. Legata pœnæ causa relicta quare olim prohibita, variæ DD, dan-
tur rationes (1.) quia legatum penderet ab hæredis voluntate, quod lex improbat *l. 43. §. 2. ff. de leg. 1.* (2.) Legata ex benevolen-
tia proficisci debent *l. 9. ff. pro socio.* (3.) Nimis coerceretur li-
bertas voluntatis humanæ. (4.) Testamenta ad ultimæ volunta-
tis declarationem, non ad pœnæ irrogationem sunt introducta.
(5.) Pugnant quasi inter se, de aliquo se benè mereri velle, & ta-
men eundem punire. *D. Brunn. quest. 2. b. t.* Nec obstat *l. 1. ff. de
penu legat.* ex quâ constat quod etiam olim valuerit legatum,
pœnæ causa relictum; cum respondeat, *D. Harpr. ad §. ult. Instit.
de legat. n. 10.* in illa lege non esse legatum pœnæ sed penus, &
pœna ibi tantum addita ut legatum magis præstetur. Secus in
tali legato in quô sola continetur pœna. Hodie ex nova consti-
tutione Imperatoris Justiniani legata pœnæ causa relicta rata
& firma sunt, nisi forte impossibilia, probrosa aut lege fuerint
interdicta *§. ult. Instit. de legat.*
6. Impossibilis conditio, v. g. Si cælum digito atigeris, aut præscri-
bitur onerato, aut honorato, illa vitiat legatum, per *l. 1. b. t.* hæc
vero non: Hæres enim non implendo non peccat, neque pec-
cabit legatarius. *Zæf. n. 3. b. t. Harpr. ad §. ult. Instit. De legat.
Borcholt. ad §. eund.* Neque refragatur *§. 10. Inst. de hered. Instit.*
ubi dicitur, quod conditio impossibilis pro non scripta habeat-
ur; cum Imperator in hoc *§. ult. Instit. de legat.* non loquatur
de omnibus legatis, sed tantum de legatis pœnæ causa relictis.

Kf 888

ULB Halle 3
005 368 782



W 17





Quod Felix Faustumq; sit!
 COLLEGI SUTHOLTIANI PUBLICI
 DISPUTATIO XIII.
 DE
CONTRACTIBUS
QVI RE INEUN-
TUR
QUAM

Una cum specialioribus Controversiis
 Ex Lib. XXX, XXXI, XXXII, XXXIII, XXXIV. Pand.

PRÆSIDE
 DN SAMUELE STRYKIO
 J. U. D. & INSTIT. IMPERIAL. PROFESS. ORD.
In celeberrimâ cis VIADRUM UNIVERSITATE,
 Ad diem 19. Decembr. A. O. R. MDC LXVIII.
 IN AUDITORIO JCONSULTORUM

Horis matutinis
Publico eruditorum Examine
exhibet
 JOHANNES ADAMUS CALBIUS
 STETIN. POMERAN.

Literis JOHANNIS ERNESTI Acad. Typ.

